





1748, 16.

SOLENNIA INAUGVRALIA  
NOBILISSIMI  
SVMMORVM IN VTROQVE IVRE HONORVM  
CANDIDATI  
CAROLI OTTONIS PACKVVSCHII  
ADVOCATI CHEMNICENSIS  
DIE XXI. MARTII MDCCXLVIII.  
CELEBRANDA  
INDICIT  
GVSTAVVS HENRICVS MYLIVS,  
ICTVS  
PROCANCELLARIVS.

SOBENNIA INAVGARALIA  
NOBILISSIMI  
SYMORVM IN VTROVE TRVE HONORVM  
CANDIDATI  
CAROLI OTTONIS PACKBVSCHII  
ADVOCATI CHEMNITENSIS  
DIE XEE MARTII MDCCCLXXII  
CELEBRANDA  
INDICE  
GUSTAVVS HENRICVS MYLLVS  
ICVS  
PROCANCELLARIVS





**C**ommune omnium, qui publicae rei maxime cupiunt, votum, idque ardentissimum, vt belli hostilis diutini finis tandem appropinquet exoptatissimus, idem illud quoque eorum est Ciuium, qui certamine forensi eoque anosiore impliciti languent, beneque rotati hoc citius terminandum exoptant, et precibus infimis petunt. Vnum et commune inter haec bellorum genera est malum fatale, temporis nimirum iactura pretiosissimi, et quae cum ea coniuncta est, tarditas et procrastinatio damnosa. Idem enim fatum, quod causam praebet, vt bellum publicum longissime ducatur, et, cum maxime de recipiendis pacis conditionibus serio agitur,  
a 2 pacifi-

## IV

pacificationi per ambages moras iniicit, in pugna quoque forenfi eius victoriam arcere, et progressui aequae ac compositioni litis impedimento esse videmus. Nihil aut male agendo in expeditione bellica plurimum tempus cum patrimonio consumi diurna loquuntur; Dux enim Belli cum alternis vicibus ad promouendum bellum, aciem ordinandam, aut decretoriam pugnam prudenter cauteque vitandam: Internuntius pacificator vero in negotio secretis praeceptis et artibus per Cursores extraordinarios vltro citroque missos instruitur, tempora labuntur. Idem in Expeditione forenfi litium alicuius momenti accidit, quarum formulae, termini legales, dilationes Iuris et Iudicis nimiam licentiam, et viam procrastinandi decisionem causae, etiam iuriffimae, permittunt, adeoque cauffidicus gloriosus multis clamoribus cantare solet:

*Detinui dicam, tempus, curasque fefelli.*

Actor vero, quem spes et expectatio frustratur, Leges, iudiciarias potissimum, accusat, easque causam ampliandi impune facere potestatem, pronunciat, iactat, clamat. Neque, si verum vti res est, dicere velimus, iniuria. Vt enim alia impedimenta legalia, et quae moratores forenses moliuntur, taceamus, praecipue *Terminus* ille *peremptorius*, legibus definitus, quem in foro Saxo-

Saxonico frequentatum ab eo nomen accepisse nouimus, nimium diu lites alere, et amplissimum tempus ac spatium ad earum protractionem, quae iam in mores abiit, bono modo promouendam, dare solet, adeo ut huius incommodi ratio, et beneficii abusus iam dudum in causis mercatorum, bancaeruptorum, opificiorum, iniuriarum et quae ad politiam spectant, aut moram ferre non possunt, vel etiam ubi res exigui pretii in Iudicium deducta, restringendum esse spatium huius Termini praeiudicialis, multisque modis coarctandum, iusserit. Et quid obstat, quominus magnum hoc temporis compendium sit translatiuum quoad reliquas causas forenses? Temporis quidem si unquam magna habenda est ratio, in Iudiciis profecto, ad cuius formam maxime pertinet, non est negligenda, nec formula illa forensis intra angustos nimis terminos constringenda, sufficiens quoque dierum spatium ad pugnam forensis litigatoribus concedendum esse eunomia postulat, ad causam scilicet instruendam, instructam pertractandam, argumentis aliisque modis probandam, probatam defendendam, imo iam decisam corrigendam, in quo labore virum in patrociniis et operis fori celebrem et occupatum non semper dies continuos, sed subcisiuos consumere consuetudo forensis loquitur.

## VI

tur. At vero, quis negat, ad haec omnia in vnoquoque articulo processus dimidiatum Terminum legalem sufficere posse, nec vbiq̄ue vnum idemque spatium temporis requiri. Aliud sane causa executiua, aliud ordinaria, aliud actoris aliud rei conditio, aliud absens, aliud praesens litigator desiderat, aliud opella forensis parua, aliud labor requirit defensoris, cum

*Ense ferit pugnae nodumque, moramque.*

Quid quaeso opus est in Processu summario, quem Executiuum appellamus, vt per tres quaterdenas et quod excurrit, reus de agnoscenda nominis vel proprii, vel alieni suscriptione deliberet, cum vna quaterdena ad hanc necessariam recognitionem, aut etiam diffessionem satis esset, atque excogitandis deducendisq̄ue Exceptionibus, quas in dolores huius formulae non admittit, ne vnus quidem horae spatium impendendum sit. Actori vero vbiq̄ue inuito et renuenti beneficium temporis legalis, obtruditur, qui probe gnarus, quod omnis mora ipsi sit nociua, intra triduum forte ad id, quod ab ipso praestandum est, sese accingeret, etiam non vocatus. Et tamen cum ad Iuramentum relatum, et calumniae, Editionis, recognitionem Documentorum, quae reus in Iudicio exhibuit, citatur, nunquam non

Ter-



Termini Saxonici habetur ratio. In Denuntiatione litis ad notitiam auctoris satis temporis cuiuscunque erit, et in prosequendis aut iustificandis remediis tum suspensiuus, tum deuolutiuus breuiori temporis spatio operam confici posse ex eo videtur, quod fatalibus Terminis elapsis, nouae probationes in foro nostro haud admittantur, et ruminatio grauaminum compendiaria, quandoque superuacua, eiusdem sit effectus, quam operosa. Idem Compendium temporis legalis suadet actus iurandi, ad quem reus peremptorio edicto vocatur. Non enim deliberandum est diu de eo, quod conscientia rei negatae eiusque confessio urget, vel inficiatio repetita disuadet, quod argumentum etiam ad iuramenta legalia, aliaque pertinet. Nec in contrarium mouere poterit, quod ad effectum praecclusiuum citatio non dilatoria sed peremptoria, quae triplicationem prioris continet, Iure Saxonico sit necessaria. Nam nostra aetate quiuis Terminus et legalis et peremptorius est, quem Legislator definit, cum sola eius voluntas in determinatione temporis aequae ac praeciusdicii sufficiat, imo ne quidem antiquis temporibus ad effectum peremptorium, spatium legitimum in CVRIA SVPREMA PROV. quae Lipsiae ius dicit, citationis requisitum fuisse, sed quinque septimanarum tempus  
 pla-

## VIII

placuisse verba ordinationis laudatae Curiae anno MDXLIX, publici iuris factae, loquuntur, sub Titulo: von der Citation. Item: es sollen die Citation oder Ladebrieffe, die alle peremptoriae, und zu früher Tagezeit sein sollen, deme Part, der geladen wirdt, fünff oder sechs Wochen ungeschrlich, vor dem Gerichts-Tage etc. verkündiget werden, quibus cum conspirat Textus Legis Iudiciariae Curiae Prou. Vitembergensis anno sequenti publicatae Tit. forma der Ladung und Citation. vbi notanter adiicitur: zusamt gebürlicher Berwarung, und wo iemand ungehorsamlich außsen bleibt, so soll derselbig auff das andre Gericht zu seiner ehelichafft, und zum dritten Gerichte zu der Hülffe immassen es sonst, nach Vormöge Sächsischer Rechte, ubelich und gebreuchlich citirt und geladen werden. Qua occasione, in his superioribus Iudiciis quod nam sit incommodum Termini Legalis, silentio praeterire nequeo. Iudicant hae Curiae Prouinciales, quod inter omnes constat, non nisi statis quatuor temporibus siue Terminis annuis. Sed illa ipsa necessitas citationis peremptoriae et praeiudicialis, quae apud nos Saxonicum spatium pro forma requirit, saepius impedimento est, quo minus actione quadam instituta, aut prouocatione admissa, partes litigantes ad proximum citari queant. Quam ob rem sublato Termino Saxo-

Saxonico ex foris nostris, lites omnes breuiores fore, et nos arbitramur, et alios falsuros esse credimus.

Plura addere chartae spatium prohibet, et huius scriptionis causa. Exponenda enim quaedam sunt antiquo more de Vita et Studiis

CANDIDATI NOBILISSIMI

CAROLI OTTO  
PACKBVSCHII

Qui natus est *Mühlbergae* ad Albim anno huius seculi vicesimo secundo, die primo mensis Ianuarii, patre GVSTAVO FRIDERICO PACKBVSCH, Potentissimo Sarmatarum Regi, ac Serenissimo Saxonum Electori, a Consiliis commissionum, et praefecturae Mühlbergensis Inspectore, filio STEPHANI PACKBVSCH, olim reditum praefecturae Lipsiensis administratoris; matre vero RAHEL ELISABETH, e gente GRVHLIANA ortum ducente, quorum iam defunctorum parentum memoriam et cineres pia mente colit et veneratur. Ab his parentibus

b non

## X

non tantum priuatis quondam praeceptoribus, inter quos M. SAMVEL GOTTLOB SCHMIDII, Pastoris Krippenensis singulari quodam amore recordatur memoriam, traditus, sed post haec quoque in scholam prouincialem, quae Misnam ornat, ad bonarum artium cognitionem addiscendam receptus fuit. Elapso sexennio, anno MDCCXL. Afrae valedixit, oratione habita: *de mirandis prouidentiae diuinae speciminibus, circa sacra a Luthero repurgata, aetate Georgii Barbati, Ducis Saxoniae,* atque eodem anno Lipsiam se contulit, et a Rectore tunc temporis Magnifico, IOANNE ERHARDO KAPPIO ciuitatis academicae iura impetrauit. Quo facto Iuris quidem prudentiae totum se tradidit, eaque mente tam publica, quam priuata, praestantissimorum virorum ROTHERI, MENCHENII, et ZOLLERI Lectionibus sedulo interfuit, nec minorem ex Praefidis sui, summe Reuerendi RIVINI doctrinis, maxime, quae ad Forum Saxonicum spectare videntur, percepit utilitatem, sed et praeterea in traditis a celeberrimo WINCKLERO philosophiae praeceptis ita consumpsit tempus, vt recordari illius ipsum haud poeniteat. Quadriennio peracto ab Ordine nostro ad examen, iis, qui ad Aduocati aequae ac

Nota-

Notarii munus adspirant, subeundum, admissus, in utroque compos voti sui factus est. Deinde sub praesidio ZOLLERI dissertationem: *de vero fundamento contractus chirographarii*, publice defendit, et academiam reliquit, et cum paulo post ex speciali REGIS POTENT. gratia praxin Iuridicam in foro exercere ipsi concessum fuerit, Chemnitii et forum, et domicilium sibi constituit, ibique per tres, et quod excurrit, annos in iudiciis causas forenses non sine fructu tractando, clientibus pluribus adfuit. Tandem ab Ordine nostro petiit, ut honorum in iure summorum adpiscendorum causa, ad consueta examina admitteretur, in quibus et textus utriusque Iuris erudite explicuit, et ad quaesita promte respondit, ut unanimi consensu dignum iudicarem, cui supremi in arte nostra honores, tribuerentur. Ea de causa futura die *Mercurii*, nimirum d. XX. Mart. hora pom. II. in Auditorio nostro *Legem VII. Cod. de acquirenda vel amittenda possessione* recitabit, proximo vero die *Iouis* d. XXI. eiusdem mensis inaugurale specimen *de fine litium, ut finiantur*, Praeside Excellentissimo RIVINO tuebitur. His peractis idem Vir Excellentissimus ex ordinis nostri decreto a me Procancellario rite substitutus Promotor dignitatem,


XII

tatem, honores, et priuilegia Doctorum no-  
strorum, qui extra numerum sunt, publice illi  
tribuet. Quae solennia nostra, vt vos, RECTOR  
ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI  
COMITES, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PRO-  
CERES, nec non Generosissimi et Nobilissimi  
Academiae Ciues conspectu vestro reddatis illu-  
striora, quo quemque decet, cultu rogamus.  
Dab. Dominica Oculi MDCCXLVIII.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



ULB Halle 3  
004 195 175  



f

Sl.









1748, 16.

SOLENNIA INAUGVRALIA  
NOBILISSIMI  
SVMMORVM IN VTROQVE IVRE HONORVM  
CANDIDATI  
CAROLI OTTONIS PACKVVSCHII  
ADVOCATI CHEMNICENSIS  
DIE XXI. MARTII MDCCXLVIII.  
CELEBRANDA  
INDICIT  
GVSTAVVS HENRICVS MYLIVS,  
ICTVS  
PROCANCELLARIVS.

